

Instituitur

Psal. 87.

De gratia

dicat. Idem secundo. Cur Deus homo decimo sexto. Mirabilis inquit, Deus reitauravit humanam naturam, quam *instituit*. (Aequaliter enim utrumque Deo facile est) sed homo antequam esset, non peccavit, ut fieri non deberet, postquam vero factus est, peccando meruit, ut quod & illud quod factus erat, perderet; ratio ergo mirabilis Deus illum restituere quam instituit, quanto hoc de peccatore contra meritum, illud non de peccatore nec contra meritum fecit. Chrysostronus quoque sicut allegatur in Glossa super illud Luc. 5. Quid est facilius dicere, dimittere tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula? Palam, inquit, est quia consolida corpus facilius est; quanto namque nobilior est anima corpore, tanto est excellentior ab solutio criminum. Verum quia illud non creditis, eo quod lateat, adiciam quod minus est, apertius tamen, quatenus quod est magis occultum per hoc demonstratur. Quibus & concorditer Augustinus super illud Psalmi 9. Narrabo omnia mirabilia tua; Narrat, inquit, omnia mirabilia Dei, quae non solum in corporibus palam, sed in animis inuisibiliter quidem, sed longe sublimius & excellentius fieri videt. Nam terreni homines, & oculis dedit magis mirantur resurrexisse in corpore Lazarum mortuum, quam resurrexisse in anima persecutorem Paulum. Dicit quoque propheta loquens ad Deum, Nunquid mortuis faciet mirabilia, aut medici suscitabunt? & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscetur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra oblivionis? Psal. 87. Quid autem haec aliud significare videntur, nisi quod solus Deus facit mirabilia spiritualiter, mortuos & sepultos, perditos & oblitos sua praeviente gratia suscitando; Vnde Augustinus primum horum verborum exponendo Medici, inquit, Ecclesiastici, quamvis non de suo curent, quia nec Medici corporis curant de suo, tamen quantum libet per fidele ministerium opulentur saluti, viuentes curare possunt, non mortuos excitare de quibus dictum est, Nunquid mortuis faciet mirabilia? Nimis enim occulta Dei gratia est, qua hominum mentes quodammodo reuiuiscunt, ut possint a quibuslibet eius ministris praecipua sanitatis audire; quam gratiam commendat Evangelio dicens, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui in caelo est, traxerit eum, & paulo post, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Supra dixerat, Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt; & tanquam huius rei causam exponens, Propterea, inquit, dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit datum a Patre meo, ut ostenderet etiam ipsam fidem, qua credit, & ex morte sui cordis anima reuiuiscit, dari nobis a Deo. Quantumlibet ergo ex ipsa, excellentes verbi praedicatores, & veritatis etiam per miracula sua flores tanquam magni medici agant cum hominibus, si mortui sunt, & tua gratia non reuixerunt; Nunquid mortuis faciet mirabilia, aut medici resuscitabunt, & hi quos exascebat, confitebuntur tibi? haec enim confessio indicat viuos: Nam, sicut alibi scriptum est, A mortuo velut qui non sit, perit confessio; qui & ad eandem sententiam sequentes versus exponit, super tertium ita dicens, Nec medici impios suscitabunt ut confiteantur tibi in quibus occulta tua gratia non operatur, qua trahantur ut credant, quia nemo venit ad me, nisi quem tu attraxeris. Petrus in super 4. Sent. dist. 18. dicit quod purgationem animae a macula peccati, solus Deus facit, qui solus suscitatur animam & illuminat, quod Sacerdotes nequeunt qui tamen sunt Medici animarum. Vnde propheta, Nunquid Medici suscitabunt & confitebuntur tibi? Item Ecclesiastici decimo septimo; A mortuo quasi nihil, perit confessio, vel secundum aliam translationem, A mortuo velut qui non sit, perit confessio. Qui ergo confitetur peccatum, non quia confitetur, est viuos. Non enim potest mortuus facere opus vitae, sed prius saltem natura est viuos, & ideo efficit opus vitae. Istam quoque sententiam roborat expositio Sancti Augustini superius allegata. Qui & de verbis Domini Sermone octavo, Confitentur, inquit, sive laudantes Deum, sive accusantes nos ipsos. Pia est utraque confessio, sive cum te reprehendis qui non es sine peccato, sive cum illum laudas qui non potest habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehensio tua laus ipsius est. Quare enim iam confiteris in accusatione peccati tui, in accusatione tui ipsius, quare confiteris nisi quia ex mortuo factus es viuos. Scriptura, quippe ait, A mortuo quasi qui non sit, perit confessio. Si perit a mortuo confessio, qui confitetur, viuos est; Et si peccatum confitetur, utique a morte reuixit. Si peccati confessor reuixit a morte, quis cum suscitauit? Nullus mortuus est nisi ipse suscitator, quis cum suscitauit? Nisi qui remoto lapide clamauit, dicens, Lazare, produi foras. Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non posset nisi viueret, viuere non posset nisi in hoc uocatio esset. Dicit quoque Bernardus De gratia & libero arbitrio 23. Ait Apostolus, Quid habes quod non accepisti? creatus, sanatus, saluatus, quod horum tibi ex te O homo? quid horum non impossibile libero arbitrio, nec create, qui non

A non eras, nec iustificare peccatoris, nec mortuus peccatoris te ipsum resuscitare, ut caetera praetermiram bona, quae in sanandis necessaria sunt, aut saluandis reposita. Quod dicimus de primo, patet & ultimo, sed & de medio nemo dubitat, nisi qui ignorans Dei iustitiam, & suam uolens communi iustitiae Deum non esse subiectus. Quid enim agnoscis creatis potentiam, saluandi gratiam, & agnoscis ignoras iustitiam? Sana me, ait, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero, quod amittit me tu es. Iustitia Dei iustitiam agnoscebat, a quo sperabat aequam saluari a peccato, quam a miseria liberari, ideo illam & laudem suam, non se merito flaturabat. Quis est qui est, qui ignorat Dei iustitiam? quis se ipsum iustificat? quis est qui se ipsum iustificat, qui merita sibi aliunde praesumit quam a gratia. Caeterum qui fecit, quod saluaret, etiam dat unde saluet. Ipse merita, inquam, donat, qui fecit quibus donaret. Et sequitur 24. Igitur qui recte sapienter ipse confitentur operationem, non quidem liberarbitrij, sed diuinae gratiae in ipso, huc de ipso prima, creatio; secunda, reformatio; tertia, est consummatio. Si quidem quod non erat, in illo creati oportuit, quod erat, performam reformati deiformem, membra non perfici nisi cum capite. Ex his apparet, quod solus Deus uiuificat, & resuscitat per gratiam mortuos per peccatum. Quod bene aduertens propheta, Viuificabis, inquit, nos; & nomen tuum inuocabimus, Psalmo 79. Viuificabis nos, ita solus vitam gratiae inspirando, & hoc primo, & uiuificati nomen tuum inuocabimus uia inuocatione secundo. Et infra 84. Deus, tu conuersus, vel secundum aliam literam conuersens, uiuificabis nos; tu, inquam, singulariter, discretim conuersus ad nos per beneficium gratiae, seu conuersus, uiuificabis nos. Et infra 118. In aequitate tua uiuifica me, in aequitate, inquam tua, non mea; ubi habet littera Augustini, In iustitia tua uiuifica me. Super quod dicit, Non in mea, sed in tua iustitia uiuifica me, hoc est, charitate, quia in me uide morer, habui, unde autem uiam, non inueni, nisi in te. Et infra 147. Secundum misericordiam tuam uiuifica me, & euadit testimonia oris tuis. Secundum misericordiam tuam, non secundum iustitiam meritorum uiuifica me, & hoc primo, & euadit testimonia oris tuis secundum. Quare & Medicus noster, salus, & uita; Sicut, inquit, Pater suscitatur mortuos, & uiuificat, sic & Filius quos uult, uiuificat, Iohan. 5. Hi ergo suscitatur spiritualiter mortuos, non mortui semetipsos, & hoc gratuita uoluntate, non pro suscitatorum merito praecedenti, Filius inquit, quos uult, uiuificat, non eos qui uiuificari merentur. Solus enim Deus potest de lapidibus, de lapideis hominibus, frigidis, siccis, & duris, filios Abraham suscitare, sicut ex Mattheo & Luc. tertio, sciri potest. Tertium autem praedictorum errorum, sufficienter rectificant praebita.

Secunda autem opinio principalis affirmans gratiam naturaliter praecedere remissionem peccati, & iustificationem inuesti, bifariam disperitur: Aliqui namque dicunt, quod gratia secundum id quod est absolute, praecedit remissionem peccati, & iustificationem iniusti, non autem in quantum est gratia, sed esse subsequitur hanc & illam: Alij uero ponunt, quod gratia in quantum est gratia, naturaliter haec praecedit. Prima autem istarum discordat parum uocaliter a principali opinione Pelagij recitata, realiterque concordat; quia ideo potest corrigi sicut illa, accipiendo gratiam & caeteros terminos requisitos cum re duplicatione ad mentem Scripturae Canonicae & Doctorum. Quae & posset alij uis quampluribus ad ueritatem reduci: sed quia uidentur nimium puerilis, non est ei uiriliter resistendum; atque enim prouectior, & intellectus maturior hanc fugabit. Habentes autem intellectum, & sensus magis digestos, ponentesque gratiam in quantum est gratia praecedere remissionem peccati, & iustificationem iniusti, dupliciter uariantur: Aliqua enimque dicit, gratiam praecedere iustificationem mediate, alij uero immediate: Primi quippe istorum affirmant, Deum primo naturaliter gratis infundere gratiam peccatori, ipsumque peccatorem secundo ordine naturae elicere aliquem actum purgatum peccati, & sic per actum huiusmodi mediantem mereri, & consequi remissionem peccati: Et isti circa actum illum medium diuersimode sentientes, in quinque sectas diuiduntur ulterius speciales. Prima existimat, quod ille actus medius purgatus sit cordis contritio; Secunda, quod sit oris confessio; Tertia, quod sit absolutio; Quarta, quod sit operis satisfactio; Quinta, quod sit poenitentiae sacramentalis, qualis in Ecclesia celebratur integra & perfecta: non enim putant sufficere aliquam partem solam. Prima quidem istarum, quae uidetur subtilior caeteris, opinatur Deum primo naturaliter dare gratis gratiam peccatori; ipsumque peccatorem secundo ordine naturae diligere gratis Deum; & tertio naturaliter poenitere, & per haec mereri remissionem peccati, offensa diuinae poenitentiae gratiam diuinam, & uiam eternam; sicque quarto ordine naturali percipere dimissionem peccati, quinto remissionem offensa diuinae, sexto relaxationem poenitentiae, septimo reconciliationem amicitiamque diuinam, octauo uitam eternam, licet haec omnia tempore, seu instanti temporis potius simul fiant. Hanc

autem opinionem videntur. Doctores quamplurimi profiteri, quibus & consentire videntur. Glossator decretorum super principium primæ distinctionis de penitentia, materiam istam tractans: Dicit enim quod gratia præcedit contritionem tanquam causa, & contritio remissionem similiter sicut causa. Et infra, Nota, inquit, quod hæc omnia simul sunt tempore, iustificatio, contritio, dilectio, remissio, sed quedam tamen ex his naturaliter præcedunt, & priora sunt naturæ: Necessè enim habeo intelligere quod prius quis habeat gratiam quam conteratur; præcedit ergo gratia, sequitur dilectio, quoniam qui gratiam habet, diligit, quam sequitur contritio; qui enim diligit conteritur; sequitur remissio; qui enim conteritur ei remittitur. Auctoritates autem plurimæ, quas illa prima distinctio de penitentia recitat Gratianus, & Petrus 4. sentent. dist. 17. quarum & aliqua pro Pelagianis superius recitantur, videntur planè testari, peccata per solam contritionem dimitti. Quibus & ratio suffragatur; *Aliter enim videretur superfluum conteri de peccatis; cum etiam poenitere sit liberum homini, postè accepta gratia non poenitere, & scire esse iustificatus & iustus sine aliqua poenitentia post vel ante. Verùm istam opinionem videntur corripere rationes per viam mentis contra primam opinionem Pelagianorum præmissa. Hanc etiam corrigunt rationes per viam vitæ & mortis, sanitatis & infirmitatis, bonitatis & malitiæ arboris sive terræ, & alia similes contra Pelagianos adducta. Dilectio namque & contritio, quibus peccator meretur remissionem peccati, sunt opera viua, sana, & bona; quare & ipse prius natura est viuus, sanus, & bonus, sicut superius plenius est deductum, sicut & euidenter testantur Anselmus de Concordia 9. Augustinus. ad Simplicianum 24. sicut tangebatur superius, & triglesium nonum plenius allegauit. Item sicut per vigesimum sextum nuntius pater, & per omnes Doctores concorditer peccatum seu peccati malitia non est aliquid positium, sed tantummodo priuatum, & non contritionis nec alicuius actus omnino, quia tunc cessante actuali contritione, vel illo alio actu quocunque, statim redire peccatum. Est igitur priuatio habitus alicuius, qui ei opponitur positio, & hoc immediate in subiecto disposito, sicut lux & tenebræ: Iste autem habitus oppositus immediate peccato est gratia, per gratiam quæ suppletur, vel gratia necessario ipsum immediate restituit peccatori; aliter enim posset quis simul esse in gratia, & in peccato mortali, quod præsentis repugnat. Gratia ergo infusa immediate deletur peccatum, sicut per lucem tenebræ immediate tollantur; vel statim gratia immediate restituit habitum oppositum immediate peccato, qui immediate per se tollit peccatum, sicut gratia, tantum illo habitu mediante tollit peccatum, sicut Sol tenebras aeris, tantum suo radio mediante: Non ergo actu dilectionis aut contritionis casualiter & naturaliter mediante. Item gratia est prior naturaliter contritione, & contritio non est eius effectus necessarius, nec ipsam necessario inseparabiliter consequens, quia tunc omnis recipiens & habens gratiam semper necessariò poeniteret, quod constare esse falsum de Sanctis Angelis, de hominibus ante lapsum, de paruulis baptizatis post lapsum, de sanctis adultis in vita habentibus gratiam Deo semper, non dolentibus tamen semper, & de Domino Iesu Christo. Potest ergo gratia peccatori infusa pro tunc esse sine actu contritionis in ipso, sicut & post, sicut etiam alij habitus infusi, possibileque infundi, puta intellectuales & morales sine actibus proprijs esse posse, præsertim cum contritio sit actus spontaneus liberæ voluntatis. Cum etiam gratia & contritio sint duo effectus Dei in corde contrito, & gratia prior naturâ, & contritio posterior, nec inseparabiliter ipsam sequens; quod si ponatur in esse, cum secundum hypothesein peccatum non tollatur nisi per actum contritionis, erit peccator simul in gratia & in peccato mortali, vel si in hoc casu peccatum tollatur sine actu contritionis, hoc esse per aliquem habitum, oppositum immediate peccato, qui est gratia, vel immediate allatus per gratiam, sicut superius tangebatur; quare & prius similiter tollebatur: Habitus enim semel immediate oppositus per se & essentialiter alicui priuationi, semper opponitur ei similiter, sicut ex secundo huius potest haberi. Si quis autem respondeat quod gratia non est habitus ille oppositus immediate peccato, nec illum immediate restituit, sed aliquo medio mediante; illud dicentem in casu præmissa, peccatum deieri sine contritione, & actu peccatoris prioris; Nec rationabiliter dici potest, quod illud sit habitus, quis enim est ille? Ille etiam habitus vel necessarius & inseparabiliter consequitur gratiam, vel contingenter & separabiliter: Si contingenter & separabiliter possibile est quod gratia infusa sit sine illo; & quod peccator sit simul in gratia, & in peccato mortali, sicut superius est argutum: Si necessario & inseparabiliter, eadem ratione ab initio fuisset dicendum habitum oppositum immediate peccato, immediate consequi gratiam: Per hoc enim in nullo minuitur sed augetur*

|| alias

|| contra

C

D

E

Aut potius difficultas, sicut facile est videre. Item quælibet forma, & quilibet habitus naturalis, moralis, & intellectualis immediate denominatur formatum & habitivatum, sicut immediate opponitur priuationi huius formæ, seu habitus, circa suum subiectum dispositum, puta lux lucidum, iustitia iustum, sapientia sapientem, & ita de alijs vniuersis. Dispositio gratia & charitas non immediate denominatur quoniam gratum, & charum; maxime cum esse gratum & non esse gratum, seu esse non gratum, sicut ingratum, sicut charum & acharum; circa subiectum dispositum, puta circa creaturam rationalem, sine immediate opposita priuatione: Cur etiam gratia, seu charitas quæ est vita spiritaliter, sanitas, & pulchritudo habentis non immediate denominatur ipsum viuum spiritaliter, sanum, & pulchrum, sicut vita, sanitas, & pulchritudo cuiuspiam naturalis denominatur naturaliter ipsum talem? Cur etiam gratia non immediate efficit & denominatur magnos gratos, sicut facit paruulos baptizatos, sicut & primos homines, effecerunt creati in gratia, vel ante peccatum, gratiam habuerunt; sicut etiam Angelos, cum secundum illud vulgatum Philosophi, Vnum in quantum vnum natum sit, facere semper vnum. Item ad inductionem peccati mortalis statim immediate consequitur expulsiō gratiæ; quare & eodem modo & contra simili ratione. Hanc etiam opinionem rectificant Auctoritates præmissa, dicentes, Peccatorum iustificari per gratiam Dei gratis, non ex operibus, aut meritis præcedentibus peccatoris, quod & Auctoritates & rationes quamplures contra opiniones Pelagianorum præmissa concorditer attestantur: Hæc eadem opinio propter multa alia eius dicta, posset & multipliciter aliter castigari. Secunda dictarum sectarum tali innititur rationi: Si ante oris confessionem dimittantur peccata, non est necessarium confiteri: Quia enim ratione tenetur homo confiteri peccata, quæ non dubitat esse dimissa: Cur etiam non similiter teneretur baptizatus adultus non iterum confiteri peccata in baptismo dimissa, quod nullus dubitat esse dimissa: Quare & Dominus præcipit, dictu prior iniquitates tuas, vt iustificeris. Et infra 43. secundum Translationem Septuaginta, vt recitat ibi Glossa, Augustinus quoque super illud Psalmi 74. Confitebor tibi Deus, confitebor, & invocabis nomen tuum, & confitebor, inquit, & invocabis. Confitendo enim mundas te ipsum, quo veniat invocatus, Ante invocationem præcedit confessio, confessio tua te mundat. Qui & super illud Psalmi 95. Confessio & pulchritudo in conspectu eius, Pulchritudinem, inquit, amas? Vis esse pulcher? confitere; non dixit pulchritudo, & confessio, sed confessio & pulchritudo: Fœdus eras: confitere vt sis pulcher: Peccator eras: confitere, vt sis iustus; confessio & pulchritudo in conspectu eius. Confiteantur enim peccata sua, vomant mala quæ auidè vorauerant, non redeant ad vomitum suum sicut canis immundus, & erit confessio & pulchritudo. Amamus pulchritudinem; prius eligamus confessionem, vt sequatur pulchritudo: Istam quoque sententiam planè testatur expositio Augustini super illud Psalmi 103. Confessionem & decorem induisti; & super illud Psalmi 84. Iustitia autem cum ambulabit &c. superius recitata. Dicitque Ambrosius in libro de Paradiso, sicut allegatur de poenitent. dist. 1. Alij de contra, & 4. sent. Petri, dist. 17. Non potest quisquam iustificari a peccato nisi fuerit ante confessus: Qui & in sermone quadragesime, sicut eisdem locis similiter allegatur; Confessio, inquit, animam a morte liberat, confessio aperit paradisum, confessio spem salutis tribuit. Item August. de vera & falsa poenitentia 3. & allegatur locis prædictis, In hoc, inquit, quod poenitens per se ipsum dicit Sacerdoti, & erubescitiam vincit timore offensi, fit venia criminis: Fit enim veniale per confessionem, quod criminale erat in operatione; vtroque etiam loco prædicto multa Auctoritates similes recitantur. Verum conceptio huius sectæ ex correptione sectæ prioris sequitur euidenter: Si namque cordis contritio præcedens a gratia non præcedit deletionem peccati, multo magis nec oris confessio cum hæc sit posterior. Per eadem quoque per quæ reducta fuerat prima secta, potest & secunda reduci. Peccatum enim est priuatio quædam tantum, & non confessionis nec alicuius actus, quia tunc cessante confessione, vel illo actu, rediret peccatum: Est igitur priuatio habitus alicuius; qui vel est gratia, vel per gratiam restitutus, sicut superius est ostensum, & hoc ante confessionem medium naturam, sed tempore, quando gratia ingrato gratis infunditur, & conteritur de peccatis, sicut & præhabita manifestant. Item si peccatum mortale non deleteretur ante oris confessionem in peccatore recipiente gratuitam gratiam & contritio, volente confiteri, & Confessorem diligenter & diu querente, starent diu simul gratia & peccatum mortale, quod erat superius reprobatum. Quis etiam Catholicus dubitat in peccatore ex gratia iam infusa debite poenitente, & confiteri volente, ac confessionem diligenter querente, peccata ante confessionem dimitti, ipsumque, si moriatur in via versis Sacerdotem, saluari; & si huic sic mortuo ante confessionem dimittantur peccata, cur non similiter si vixisset donec ad Sacerdotem venisset: cur non similiter alteri simili non morienti in via, sed vltimo post confessionem

Etia. 43. Glossa Augustini.

Augustinus. amictus lumine sicut vestimento. Ambrosius. Augustinus.

professionem venient? quae ratio dicitur? quae causa varietatis caeteris partibus circa istos? Hoc autem & illi decem viti leprosi, qui ad iussionem Dominicam dum irent quare se Sacerdotes, ut eis ostenderent, sunt mundati, de quibus Luc. decimo septimo, lucide manifestant. Quod eadem evidentia ostendit ille leprosus, quem Dominus primo, mandavit, & mundavit, & postea praecipit, ut ostenderet se Sacerdotibus, & offerret quod praecipit Moyses in testimonium illis offerri, sicut Matth. 8. & Marc. 1. plenius recitatur. Ostenderet, inquam, se per Confessionem oris, & offerret quod praecipit Moyses per satisfactionem operis, quod lex iubet. Quis etiam dubitat infidelem adultum ad praedicationem fidelis conuersum corde, & credentem in Christum, videntem baptismum, & quatenus diligenter Baptismum, etiam ante baptismum aquae, baptismum fluminis a mortalibus omnibus baptizari, & si sic decedat, saluari, sicut satis ostenditur quatuor Sent. Petri distinct. 4. Et extra, de Baptismo & eius effectu: Debitum. Cur ergo non similiter in Baptismo penitentiae saluatur? Hoc idem probatur multipliciter, De penitentia distinct. 1. per leprosos praedictos, & Autoritates ac rationes, quamplurimas efficaces. Verum est tamen quod Gratianus arguit pro, & contra, & per eam partem affirmat, sed Lectoris iudicio derelinquit, sicut capitulo penultimo clare patet. Autoritates vero & rationes pro sententia prima ibi adductae, efficaciter illam probant, quae autem ad oppositum adducuntur, quaedam magis probant propositum si inspectantur subtiliter, quaedam procedunt contra negligentes seu contemnentis oris Confessionem, & propositum consentiendi, sicut totum patet ibi per Glossam, & per Petrum 4. Sentent. distinct. 17. ubi & sententiam istam probat & tenet. Tertia secta se fundat in clauum potestate. Non enim solo aut frustra Dominus dixit Petro, Tibi dabo clauem Regni Caelorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis. Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis, Matth. 16. Omnia generaliter, Quorum, inquit discipulis congregatis, remisit peccata, remisit eis, & quorum tenueritis, retenta sunt, Iohan. 20. Quis etiam Christianus ignoret, vicarium Christi in terra, & alios inferiores praelatos & Sacerdotes minores virtute harum clauum a peccatis absolueri penitentes? aliquos vinculo excommunicationis ligari, & aliquos solui? Alii quoque, ut arguit, superfluum esse absolui. Haec autem secta ad intellectum Sacerdotum stare non potest: Si enim neque cordis contritio, neque oris confessio praecedat deletionem peccati, sicut superius est ostensum, multo magis nec absolutio Sacerdotis, cum haec, si fiat legitime, sit post illas. Potest quoque secta haec corrigi sicut proxima est correcta. Quare & Petrus 4. Sentent. Dist. 18. probat & tenet peccata esse deleta ante absolutionem a Sacerdote imperisam. Item si in absolutione Sacerdotis dimittantur peccata, vel Sacerdos per absolutionem suam ea dimittit, vel Deus ad absolutionem illius. Sacerdos autem non proprie delet peccata, sed solus Deus sicut superius est ostensum: Vnde & Ambrosius, sicut allegatur, 4. Sentent. Petri, Dist. 18. & de Penitentia, Dist. 1. Alii contra. Verbum, inquit, Dei dimittit peccata, Sacerdos est iudex, Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis iura exerceat. Dicitur Hieronymus sicut allegatur in Glossa, super illud Matth. 16. Quodcumque ligaueris, &c. & 4. Sentent. Petri, dist. 18. Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita queratur. Legimus in Leuitico de leprosis ubi iubentur ostendere se Sacerdotibus, & si lepra habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiunt, non quod leprosi, Sacerdotes faciunt, & immundos; sed quod habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quiue immundus sit. Quomodo igitur ibi leprosum Sacerdos immundum facit, sic & hic obligat vel soluit Episcopus vel Presbyter. Quis etiam vel leuiter estimabit Sacerdotem absolueno exterius, creare interius gratiam in anima peccatoris, purgatoriam peccatorum, sicut superius est ostensum? Quare & Dominus praecipit per Moysen, Aaron, & filios eius, dicens; Sic benedicite filios Israel, & dicetis eis; Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem; Inuocabunt nomen super filios Israel, & ego benedicam eis, Numer. 6. Ego, inquit, scilicet solus benedicam eis, id est, effectum benedictionis, scilicet gratiam, augmentumque gratiae inuifecus dabo eis. Nec Deus ad absolutionem Sacerdotis, semper tribuit gratiam, vel dimittit peccata. Huiusmodi namque clauigeri harum caelestium clauum possunt aliquos delirare, ligando scilicet penitentiae & eorum iudicio aliquos, qui secundum veritatem & Dei iudicium, a peccati vinculo sunt soluti, & soluendo similiter aliquos, qui veraciter sunt ligati. Quare & Origenes sicut recitat eum Petrus, 4. Sentent. Dist. 18. sic ait, Exit quis a charitate, a fide, a veritate; per hoc exit de castris Ecclesiae;

Mat. 16.

Iohan. 20.

Lumbardu.

Ambrosius.

Hieronymus.

Numer. 6.

Origenes.

B

C

D

E

A clefiam etiam Episcopi, non abducitur, sicut e contra: aliquis non recto iudicio foras mittitur, sed si non egrit, ut mereretur exire nihil laeditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est, & qui foras est intus videtur retineri, quod & plane testatur Ieronimus superius allegatus. Quare & Petrus 4. Sentent. distinct. 16. recitato dicto Ieronymi immediate subiungit: Aperte hic ostenditur quod non sequitur Deus Ecclesiae iudicium quae per surreptionem interdum, & ignorantiam quandoque iudicat; Deus autem iudicat semper secundum veritatem, & in remittendis, & in reuocandis culpis. Cui & concordat Innocentius tertius; Extra de sententia excommunicationis; A nobis saepe quaesitum. Iudicium, inquit, Dei veritas, quae non fallit, neque fallitur, semper innititur; iudicium autem Ecclesiae non nunquam opinione sequitur, quam & fallere saepe contingit & falli; propter quod, contingit interdum, ut quis ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & quilibet est apud Deum, Ecclesiastica est sententia innotuit. Quod & potest elici infra, eodem, Inquisitioni tuae, & supra, de restitutione spoliatorum, Literas. Vbi traditur manifeste, quod si alter coniugum post matrimonium celebratum, deprehendat pro certo impedimentum legitimum, quod tamen probare non potest, ratione cuius non possunt sine peccato mortali carnaliter committere, quantumcumque ad instaurum alterius coniugis per censuras Ecclesiasticas iudicialiter compellatur ad debitum carnale reddendum, nullo modo hoc debet, sed potius toto tempore vitae suae excommunicationis sententiam humiliter sustinere. Quarta secta videtur fundari in illo communi superius allegato; Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, cui & multa similia ibi similiter posita suffragantur. Quare & Leo Papa, sicut allegatur de penitentia, distinct. 1. & 4. Sentent. Petri, dist. 17. Christus, inquit, hanc praeposuit Ecclesiae tradidit potestatem, ut consentientibus penitentiae satisfactionem darent, & eisdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per amaram reconciliationis admitterent. Quae propter & Raphael Tobiae 12. Eleemosyna, inquit, a morte liberat, & ipsa est, quae purgat peccata, & facit inuenire vitam aeternam. Vnde & Parab. 15. Per misericordiam & fidem purgantur peccata; & Saluator, Luc. 11. Date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quibus & multa similia, de ieiunio, & oratione, & de huiusmodi occurrunt scriptis in Scripturis. Haec etiam potest similiter corrigi, sicut & aliae sunt correctae. Ex praecedentibus quoque patet nullius elemosynas seu opera quae libet esse chara, grata, accepta Deo quamdiu ipse est in peccato mortali extra charitatem & gratiam, non charus, non gratus, nec acceptus ab eo. Vnde & Parab. 15. Videtis impiorum abominabiles Domino, vota iustorum placabilia, Et Ecclesiast. 34. Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum; nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis. Et Eliaz 4. Ne offeratis, inquit Dominus, vltra sacrificium fructus; in censum vestrum abominatio est mihi, neomeniam, & Sabbata, & Festiuitates alias non feram; inquit sunt coetus vestri, Kalendas vestras, & solenitates vestras odit anima mea, facta sunt mihi molestiae laborum vestrorum; & cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam; Manus enim vestrae sanguine plenas sunt. Quare & Gen. 4. Respexit, inquit, Dominus ad Abel, & ad munera eius; Ad Abel, inquit, scilicet ad offerentiam seu dantem primum, & ad munera eius secundum, & propter dantem, ad munera, non e contra. Vnde & beatus Gregorius 22. Moral. 11. super illud Iob 35. Osium meum viatori pauit; Ab omnipotentes, inquit, Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Munda-ri etenim prius debet animus, qui elemosynam praebet, quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur. Cuncta itaque malitia maculat in exteriori nostro homine cogitationis immutatio, iteranda est, quia iam iudicis placare necesse oblatio, nisi ex munditia placat offerentis. Vnde scriptum est; Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit. Neque etenim sacrum eloquium dicit; Respexit ad munera Abel & ad Cain munera non respexit, sed prius ait, quia respexit ad Abel, ac deinde subiunxit, & ad munera eius; & illud dicit, quia non respexit ad Cain, ac deinde subdit, nec ad munera eius; ex dantis quippe corde id quod datur, accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblati praesertunt. Petrus namque ad eum legitur Dominus respexisse qui dabat, quam ad illa qui dabat. Qui & sicut recitat Gratianus, 14. quest. 5. Scriptum: sicut ait, Scriptum est, Videtis impiorum abominabiles sunt Deo, & vota iustorum placabilia. Neque enim in Dei iudicio, quid, sed a quo datur, suspicatur. Hinc est enim quod scriptum est; Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Dicitur quippe quod Dominus respexit ad munera, praemisit sollicitate, quia respexit ad Abel, ex qua repateret ostenditur, quia non offerens a muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. Dona quippe iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus eorum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur

Leo.

Tobia 12.

Parab. 15.

Luc. 11.

Parab. 15.

Ecl. 34.

Gen. 4.

Gregorius.

|| datur.

Augustinus.

propitiabitur peccatis eorum. Item Augustinus de vera & falsa poenitentia 17. Offerat, inquit, poenitens Deo mentem, & cordis contritionem, deinde & quod potest de possessione, tunc quod offert; securus offerat. Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, sed prius dicit ad Abel, quam ad munera: Sumens enim mentem, quam cognovit humilem & puram, remuneravit eius largitis munera. Idem Enchirid. 59. Qui, inquit, vult dare ordinate elemosynam, a seipso debet incipere, & eam primitus sibi dare, & interiora mundare, sicut alibi legitur. Mundate quae intus sunt, & quae foras sunt, mundata erunt. De hac elemosyna admonens Dominus, v. cruciatum, inquit, quod superest, date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quem & Petrus 4. sentent. dist. 15. sententia recitans, Hac, inquit, elemosyna quam sibi debet homo primitus, mundantur interiora, ad quod hortans Christus ait. Mundate quae intus sunt. Immundis enim nihil est mundum, sed polluta sunt eorum mens & conscientia. De ieiunio autem, oratione, & similibus similitudine, similiter iudicandum. Quinta secta per hoc se movit, quod aliqua poenitentia est remissa peccati, sicut in principio fuerat allegata, & quae dignis quam poenitentia illa grata quae procedit a gratia, exerceatur in Ecclesia, & est saluberrimum sacramentum. Quare & Petrus 4. sent. dist. 1. definitens Sacramentum, Sacramentum, inquit, proprie dicitur, quod ita est signum gratiae Dei, & invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat, & causa existat. Dicitque Augustinus, sicut allegatur 4. sent. Petri, dist. decima septima & de Poenitentia, dist. 1. Agite poenitentiam qualis agitur in Ecclesia, Nemo dicat sibi, occulte ago. Apud Deum ago, Novit Deus qui mihi ignoscit, quam in corde ago; ergo sine causa dictum est; Quae soluta in terra, erunt soluta & in caelis; ergo sine causa clausa Ecclesiae data sunt; frustram etiam verbum Christi. Quamobrem & Petrus 4. sent. dist. 14. dicit quod poenitentia exterior est Sacramentum & causa salutis & iustificationis, sicut superius plenius allegatus. Si etiam poenitentia sic sacramentum, est facta rei signum; sic enim sacramentum communiter definitur, & potest haberi ex Augustino 10. de Civit. Dei 11. & recitat Petrus 4. sent. dist. 1. Sed quid sanctius designat, quam sanctificationem peccatoris prophani & emendationem peccati? Aliter etiam videtur, quod tota poenitentia sacramentalis esset superflua, vel saltem aliqua pars illius. Huius etiam sectae viri possunt, per quae & alij, refranari. Quis etiam dubitat poenitentem, ante poenitentiam totam peccatam, a peccato quoad culpam, a macula scilicet peccati esse mundatum, licet non a reatu poenae solutum? Quid aliter fieret de debite poenitente, conscientie; poenitentiam admittente, & illam debite inchoante atque continuante, sed ante poenitentiam peccatam plenarie decederet; descenderet ad infernum; ubi tantum purgatio non purgatio peccatorum. Quid etiam sentiendum de sero poenitentibus in mortis articulo, in ultimo vitae anhelitu & hiato, nec perfectibus poenitentiam debitam in praesenti? Decedunt tales cum peccatis suis mortalibus? Absit, Absit; peccat mortaliter qui hoc dicit, sicut nullus dubitat Christianus. Quis etiam nesciat Sacerdotem longam poenitentiam pro peccato mortali agentem, posse missam licite celebrare ante poenitentiam consummatam? & cui dubium, nullum in peccato mortali posse licite celebrare? Propter haec ergo talia praebata, videtur mihi opinio vltima esse vera, & gratiam praecedere iustificationem immediate, nullo scilicet actu iustificati temporaliter vel naturaliter mediante: Ipsam quoque iustificationem iniusti praecedere secundum naturam actus, & opera eius iusta; ipsam insuper iustificationem in quocunque adulto aliquos actus iustos, puta dilectionem & contritionem semper de facto naturaliter consequi, & inseparabiliter comitari. Porro iuxta praemissa 23. & 25. huius, credo, quod Deus intrinsece, quantum scilicet ad actum seu affectum intrinsecum voluntatis, semper omnino aequaliter, atque gratuito, atque charè dilexit, diligit, & diliget iustificandum, seu iustificatum quemcumque, puta Paulum, ante conversionem, in ipsa, & post ipsam. Credo etiam iuxta praemissa multis capitulis quod dilectio ista Dei aeterna, sit pure gratuita, quia nullis praesentia meritis creaturae; Quare & consequenter, ut in nullo sim ingrat, gratissimè & latissimè gratiam liberalissimè ac magnificentiissimè Domini Dei mei; sed ut ei pro omnibus quae tribuit mihi gratis, gratiam plenam retribuam, saltem beneficia eius in genere, generaliter agnoscendo iuxta prius ostensa, contra opiniones praemissas, Confiteor Deum meum, quod aeternaliter gratuito me dilexit, & aeternaliter gratiam iustificationem, tempore placito coram eo, mihi gratis conferre disposuit; sic tempore placito veniente, gratias infundere gratiam iustificationem mihi iniusto, iustificare me gratis, lavare iniustitias meas gratis, suscitare & sanare me gratis, debitum poenae aeternae avertere mihi gratis, atque in poenam temporalem vertere ipsam gratis, facere me summè regni gratis, & hoc, ipsum, non me; per ipsum, & per gratiam suam, non per me, sed in me, & de me, facere

A

B

C

D

E

A facere pure gratis. Viterius autem iuxta Corollarium, 41. huius; Per ipsum, & per gratiam suam mihi gratis infusam, & per me simul ac in me, consequenter naturam & inseparanter eius gratuitis beneficiis memoratis gratis facere meipsum Deum gratias diligere, & de offensis omnibus poenitere: Ergo, Benedic anima mea Domino, & omnia quae intra me sunt, nominatim sancto eius; Benedic anima mea Domino, & non oblitesci omnes terribiliones eius. Hoc etiam testificari videtur sancta Dei Ecclesia, ita canens: E sursum agnus misit ut laxare gratis debitorum. Omnes pro indulgentia vocem demus cum lacrymis, laxare inquit gratis, non pro aliquo merito praecedenti debitorum culpae mortalis, & poenae debite aeternae. Quare & bene subiungit; Omnes pro indulgentia; scilicet culpae & poenae praedictae, & naturaliter prius facta vocem demus cum lacrymis, vocem scilicet interiorum dilectionis, cum lacrymis, id est, cum amaritudine contritionis, & actu poenitentiae subsequenter. Quod & Dominus per Esaiam 45. praedicens; Ipse, inquit, de Cyro sub typo Christi, captivitate meam dimittit, non in pretio, nec in muneribus. Quare & Petrus 4. Sent. Dist. 18. Sicut, inquit, potestatem baptismi retinuit sibi Deus, ita & poenitentiam, & ideo sicut interiori animam gratia sua illuminat, ita & simul debitum aeternae mortis relaxat: Ipse enim per seipsum poenitentium peccata regit, & tunc regit quando ad poenam non reservat. Tunc ergo regit, quando debitum poenae aeternae solvit. Quod autem ipse regat, aperte dicit Augustinus, exponens illam locum Psalmi; Benedic, quorum tecta sunt peccata, id est, operata, & oblita. Si enim peccata Deus peccata, noluit advertere, & si noluit advertere, noluit animadvertere, id est, punire; sed ignoscere. Ita ergo dicit a Deo tecta, ut Deus non videat, id est, ut aeternaliter non puniat. Videre enim Deum peccata, est ad poenam imputare, avertere autem faciem a peccatis, hoc est, ea ad poenam non reservare. Item Ieronimus; Quibus Deus dimittit peccata, regit, ne in iudicio reuelantur. Item Casiodorus; Qui gratia habent peccata, alijs Deus imputat, alijs per misericordiam non imputat. Ex his aperte ostenditur, quod ipse Deus poenitentem solvit a debito poenae, & tunc solvit, quando intus illuminat, inspirando cordis veram contritionem, scilicet habitualement, id est habitum charitatis seu gratiae effectivam contritionis, & ipsam tunc simul tempore facientem; quare & immediate subiungit; Cui sententiae ratio suffragatur, & auctoritates attestantur. Nemo enim de peccato vere compungitur, habens cor contritum & humiliaum, nisi in charitate; qui autem habet charitatem, dignus est vita; Nemo autem simul dignus est vita & morte; non est ergo tunc ligatus debito aeternae mortis. Filius enim irae esse delinit, ex quo diligere & poenitere coepit, ex quo, inquam, diligere & poenitere coepit, scilicet habitu aeternae, id est, ex quo recepit charitatem quae est habitus dilectionis & poenitentiae effectivus, & tunc simul effectivus hanc & illam; & innuit hanc rationem contra opinionem proximam prius factam; quare & immediate post addit; Ex tunc ergo solutus est ab ira, quae non manet super illum qui credit in Christum, sed super illum qui non credit. Hoc autem non potest intelligi, nisi de credere habitu aeternae, scilicet de fide habere sicut credunt parvuli baptizati, & adulti dormientes, & actum fidei non habentes; ubi & statim infert; Non ergo postmodum per Sacerdotem, cui confitetur, ab ira aeterna liberatur, a qua iam liberatus est per Dominum, ex quo dixit Confitebor, ex quo scilicet instanti temporis, proposuit confiteri, vel ex quo instanti naturae dixit habitualiter, Confitebor, id est, recepit charitatem, seu gratiam quae est habitus sic dicendi. Similiter quoque potest ostendi quod recepto habitu charitatis, non prius naturaliter per actum poenitentiae liberetur ab ira, & a debito poenae aeternae, a qua prius naturaliter fuit per illum habitum liberatus, sicut superius contra opinionem proximam plenius est deductum. Quare & subdit finaliter concludendo; Solus ergo Deus nomen interioris mundat a macula peccati, & a debito aeternae poenae solvit, qui per Prophetam ait; Ego solus deleo iniquitates & peccata populi. In iustificatione autem peccatoris adulti, quamvis iustificetur per habitum charitatis seu gratiae antecedente naturaliter, actum dilectionis aut poenitentiae salutaris, actus tamen huiusmodi secundum legem statuti in iustificatione requiritur comitanter, velut quoddam gratuitum consequens ex antecedente tam gratum, & veluti quidam fructus sanctus ex arbore prius mortua, sterili & maledicta, nunc autem vivificata, secundata, & sanctificata, procedens, veluti etiam conversio quaedam spontanea peccatoris ad Deum, qui peccando ab eo spontaneè se auertit, veluti insuper tristitia quaedam spontanea peccatoris in reconciliatione eius ad Deum, quem prius delatione spontanea offendebat. Quare & Ier. 31. in persona peccatoris conversi sic ait; Convertere me & convertar, quia tu es Dominus Deus meus; Postquam enim conversus fuero, ego poenitentiam. Qui & Thren. vlt. Convertere, inquit, nos, Domine, ad te & convertetur quod & Glossa superius allegata, lucide attestatur. Quare & Aug. de verb. Apost. serm. 15. Sine te, fecit Deus; Non enim addidisti aliquem consensum ut te faceret Deus; quomodo consentiebas, qui non eras; qui ergo fecit te, sine te, non iustificat te sine te. Ergo fecit

Eliae 45.

Lucas 11.

Aug. 11.

Thren. vlt.

Glossa.

Augustinus.

Ierem. 31.

Thren. vlt.

Glossa.

Augustinus.

nescientiam,

¶ in fine  
lecturae  
Bernardus

nescientem, iustificat volentem, tamen ipse iustificat, *ne sis iustitia tua.* Cui & concordanter Bernardus de gratia & libero arbitrio 24. Qui inquit, recte sapiunt, triplicem continentur operationem, non quidem liberi arbitrij, sed divinae gratiae in ipso, siue de ipso; prima, creatio; secunda, reformatio; tertia, est consummatio. Cum ergo consummatio fieri habeat de nobis siue etiam in nobis, non autem à nobis; creatio verò facta sit & sine nobis, sola reformatio quae est nobiscum quodammodo propter voluntarium consensum nostrum, in meritum nobis reputabitur. Reformatio ipsa sunt ieiunia nostra, vigiliae, continentia, & opera misericordiae, ceteraque virtutum exercitia, per quae vitiae consistat interiore nostrum hominem renouari de die in diem, dum & intentio terrenis incuruata curis, de imis paulatim ad superna resurgat, & affectio circa carnis desideria languens sensum in amorem spiritus conualescit, & memoria veterum hominum turpitudine sordens, nouis, bonisq; actibus candidata in dies inclarescit. In his ergo tribus interior renouatio consistit, rectitudine scilicet intentionis, puritate affectionis, recordatione bona operationis, per qua bene sibi conscientia memoriae nitescit. Verum haec, cum certum sit diuino in nobis *accitari* spiritu, Deum sunt inuenera, quia verò cum nostrae voluntatis assensu, nostra sunt merita: Non enim vos estis inquit qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Augustinus etiam de peccati tentia 2<sup>a</sup>. Omnis, inquit, qui iam suae voluntatis arbitrio constitutus est, cum accedit ad Sacramentum fidelium, nisi eum poeniteat vitae veteris, nouam non potest inchoare ab hac poenitentia cum baptizatur, soli paruuli immunes sunt? Nondum enim uti possunt libero arbitrio, quibus ad consecrationem remissionemq; originalis peccati prodest eorum fides à quibus offerantur, ut quascunq; maculas delictorum per alios, ex quibus nati sunt, contraxerunt aliorum etiam interrogatione ac responsione purgantur. Ceterorum hominum nullus transit ad Christum vt incipiat esse quod non erat, nisi eum poeniteat fuisse quod erat. Haec prima poenitentia praecipitur Iudaeis dicente Petro Apostolo, Poenitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum, Qui & de vera & falsa poenitentia 10. Qui per se, inquit, peccauit, per dolorem proprium, per fidem Ecclesiae indulgentiam acquisiuit; hoc per baptismum ita reddit hominem mundum & nouum, vt nihil remaneat, quod Deo displiceat; sine poenitentia nulli profuit baptismus qui peccauit spontaneus; & supra 29. Qui, inquit, conuertitur necessario dolet se habere quod gaudet perdere. Tenet quoque constanter fides Ecclesiae generalis, quod peccata voluntaria adultis sine poenitentia nullatenus remittuntur; & non remittuntur per actum poenitentiae casualiter & naturaliter praecedentem gratiam iustificantis, vel remissionem peccatorum mortalium quoad culpam, sicut superius est ostensum. Remittuntur ergo cum actu poenitentiae gratia & remissionem huiusmodi consequente, sicut & praecedentia manifestant;

COROLLARIUM.

Corollarium, quod illud est prius secundum naturam siue prius naturaliter alio, quod est causa illius quod aliquid, à quo ad aliud tenet consequentia subsistendi, & non è contra, est prius illo secundum naturam. Quare & quod non omne à quo non conuertitur consequentia subsistendi est prius secundum naturam, sed secundum superioritatem seu vniuersalitatem secundum consequentiam, siue secundum quemlibet alium talem modum, quod non quicquid est prius alio secundum naturam potest esse sine illo; nec etiam quicquid potest esse sine alio, & non è contra, est prius illo secundum naturam, sed secundum aliquem alium modum ita dictum, nisi fortassis prius secundum naturam dicatur aequinoctie tribus modis.

Ex his autem quaedam veritatis scientia, Logicis, Philosophis, Theologis, & omnibus amatoribus veritatis non modicum viles esse censent, quod videlicet, illud est prius secundum naturam, siue prius naturaliter alio quod est causa illius, quod videtur debere intelligi de causa efficiente, materiali, atque formali, licet secundum modum speciales diuersos. De causa autem finali non tantum videtur, imò magis videtur oppositum, quod illa sit posterior naturaliter actione, seu re, cuius est causa finalis. Item quod aliquid à quo ad aliud tenet consequentia subsistendi & non è contra, est prius illo secundum naturam; quare & quod non omne, à quo non conuertitur consequentia subsistendi est prius secundum naturam, sed secundum superioritatem, seu vniuersalitatem, secundum non consequentiam, siue secundum quemlibet alium talem modum. Item quod non quicquid est prius alio secundum naturam, potest esse sine illo, nec etiam quicquid potest esse sine alio & non è contra, est prius illo secundum

¶ in ceteri

¶ quod

D

E

E

E

E

E

E

E

E

E

E

secundum naturam, sed secundum aliquem alium modum iam dictum, nisi fortassis prius secundum naturam dicatur aequinoctie multis modis. Prima pars huius ex praemisissis apparet; & quia est utilis in doctrina, & vix ab aliquo dubitatur, ipsam commemorare oportuit potius quam probare. Haec enim concorditer attestantur Logica, naturalis scientia, & diuina, quam & Theologia ac Theologiae contestantur, de quarum copia, testimonij gratia pauca sumam. Philosophus siquidem in Praedicamentis, positus quatuor modis Prioris, subiungit; Videtur autem, praeter eos qui dicti sunt, alter esse Prioris modus. Eorum enim quae conuertuntur secundum existentiae consequentiam, quod alterius quomodolibet causa est, digne prius natura illo dicitur; quia verò quaedam sunt huiusmodi, palam est. Essentiaque hominem conuertitur secundum existentiae consequentiam ad veram de se orationem. Nam si est homo, vera est oratio, qua dicitur, quoniam homo est; & si vera est oratio qua dicitur, quia homo est, tunc consequitur hominem esse: est autem vera oratio quidem nequaquam causa quod sit res, veruotamen videtur quodammodo res causa vt sit oratio vera. Nam enim res est, aut non est, aut vera oratio aut falsa dicatur necesse est; ideoque secundum quinque modos prius alterum altero dicitur. Quis etiam in naturali scientia, aut in metaphysicali sapientia debet causas esse priores & superiores apud naturam casualis, puta simplex composito, generans generato, agens acto, & vniuersaliter mouens moto. Quomodo namque aliter demonstrarent Deum esse primum, & summum omnium secundum naturam? Quis etiam Theologus nesciat Deum verè & realiter praecessisse mundum & tempus, nec tamen temporaliter, aut secundum aliquam durationem successiuam, & longam veram, & realem, sed tantum secundum causam & naturam, sicut ostendunt praemisissia, 34. parte corollarij primi huius? Hoc idem testatur Boetius, quinto de Consolatione Philosophiae, prosa vltima. Augustinus 12. Confess. 28. sicut eadem pars allegat, & Anselmus de veritate, 12. sicut tricesimo nono patet. Quot etiam testimonia, tricesimo quinto, & citra copiose praemisissia ostendunt gratiam praecedere opera nostra bona, quod non temporaliter, sed casualiter atque naturaliter oportet intelligi: Quare, & Petrus, secundo Sententiarum, Distinct. 26. Bonam, inquit, voluntatem fides praevent, non tempore, sed causa & natura. Quis etiam negauerit Deum esse primum casualium, & ipsi in prius casualiter, & ideo prius naturaliter agere in actione constanti, sicut artificem in instrumento, sicut etiam ex proximo huius patet. Reliqua verò particula huius primae partis per haec & huiusmodi faciliter apparebunt. Prima particula secundae partis euidenter consequitur ex hac prima. Sequitur enim, Deus suscitauit istum spiritualiter vel corporaliter, ergo Deus suscitauit istum sic vel sic. Cum enim diu continuè vixerit, erit antecedens verum, & consequens falsum planè, quia Deus nequaquam continuè suscitauit iam viuentem, sed in instanti vnico suscitauit. Aliqui quoque viuunt naturaliter, quos Deus non naturaliter suscitauit, nec naturaliter suscitauit, sicut illi, qui nunquam erant naturaliter mortui: Aliqui etiam viuunt spiritualiter, quos Deus non sic suscitauit; nec etiam suscitauit, sicut sancti Angeli, Christus, & forsitan Mater Christi. Deus etiam viuus, qui nunquam fuerat suscitatus, quare ad hoc viuere nullatenus sequitur, quod Deus hoc suscitauit, sed è contra. Ponatur ergo quod Deus istum prius spiritualiter mortuum, nunc spiritualiter suscitauit vitam gratiae inspirando, tunc optime sequitur, Deus hunc suscitauit, ergo hic est viuus, & non conuertitur sicut superius est ostensum, & tamen Deum hunc suscitare est prius secundum naturam, quam hunc esse viuum: Est enim causa illius; quia enim Deus hunc suscitauit, ideo est viuus, & non è contra. Similiter, optime sequitur, Deus vult suscitare nunc istum, ergo iste est viuus, per decimum huius, & non conuertitur, sicut praecedentia manifestant. Et tamen Deum esse suscitare nunc istum est prius natura, quam istum esse viuum; est enim [causa] illius, causa efficiens. Similiter optime sequitur, Deus hoc creauit, vel vult creare nunc hoc, ergo hoc est & non conuertitur; non enim creat creata continuè, sed conferuat, & tamen hoc est prius illo naturali, quia causa illius. Similiter optime sequitur, iste homo habet gratiam, ergo est mundus à peccato mortali, & non conuertitur. Aliquis enim potest esse mundus à peccato mortali, & non habere gratiam, sicut forte secundum quosdam: fuit de primis parentibus ante lapsum, pro antiqua morula, quod non habuerunt gratiam neque culpam, vel saltem potuit sic fuisse, & tamen habere gratiam est prius natura, quia causa illius: Gratia namque purgat peccata mortalia, sicut superius est ostensum. Secunda verò particula huius 2. clarissime sequitur ex hac prima: quibus parentibus, tertia satis patet. Obijciatur forsitan, quod Phil. in Praed. ponendo modos prioris, assignans secundum, dicit illud esse prius secundum naturam, à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Non est ita: Dicit enim Philosophus quod illud est prius; quod non conuertitur secundum subsistendi consequentiam, & à quo non conuertitur in eoque